AUTHOR:

STALLBAUM, GOTTFRIED

TITLE:

SCHOLA CRITICA ET HISTORICA SUPER...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1837

Master Negative #

91-80274-19

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Stallbaum, Gottfried, 1793-1861.
... Schola critica et historica super loco Timaei Platonici de animae mundanae elementis. Lipsiae, typis Staritzii, 1837.
16 p. 21½ cm.

At head of title: Publica discipulorum examina ... habenda et actum oratorium ... instituendum nomine Scholae Thomanae publice indicit ... Godofredus Stallbaumius ...

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10.2.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT









IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)











PHOTOGRAPHIC SCIENCES CORPORATION
770 BASKET ROAD
P.O. BOX 338
WEBSTER, NEW YORK 14580
(716) 265-1600

PUBLICA
DISCIPULORUM EXAMINA
INDE A D. III. M. APRILIS HABENDA

ET

ACTUM ORATORIUM
D. VII. M. APRIL. H. IX. ANTEMER. INSTITUENDUM

NOMINE

SCHOLAE THOMANAE

PUBLICE INDICIT

ET

AD UTRAMQUE SOLEMNITATEM

CONCELEBRANDAM

PATRONOS AC FAUTORES

HUMANISSIME INVITAT

RECTOR

GODOFREDUS STALLBAUMIUS.

Inest: Schola critica et historica super loco Timaei Platonici de animae mundanae elementis.

LIPSIAE
TYPIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.
MDCCCXXXVII.

Difficillimus semper ad interpretandum visus est locus ille Timaei Platonici p. 35. A. ed. Steph. sqq. et p. 37. A. B. quo agitur de elementis, ex quibus mundi anima conflata sit, deque viribus et facultatibus eius inde oriundis. Qui locus quantum negotii fecerit quum veteribus tum recentioribus interpretibus, facile intelligas ex Plutarcho De animae procreat. p. 1012 sqq. et ex Proclo Commentar. in Tim. p. 185 sqq., ubi Xenocratis, Crantoris, aliorumque opiniones de eo recensentur, discas etiam a Tennemanno System. Philosoph. Plat. T. III. p. 73. et 65. qui recentiorum quorundam philosophorum iudicia castigavit, ipse tamen confessus, se quo saepius rem apud animum reputaverit, eo magis de ea incertum factum esse coniectumque in magnas dubitationes. Operae pretium igitur facturi esse videmur, si, quoniam nuper universi Timaei interpretationem suscepimus, data hac scribendi opportunitate ita utamur, ut nostram loci difficillimi explicationem publice proponamus videamusque, an ea desideriis virorum doctorum, et veteris philosophiae maximeque Platonicae non imperitorum, cumulate satisfactura sit.

Est autem duplex loci difficultas, altera verborum, rerum altera. Itaque ante omnia de verbis erit videndum, quibus vel male affectis vel perperam explicatis fieri nullo modo poterit, ut mentem Platonis penitus assequamur.

Considerantibus vero nobis Timaei illa p. 35. A. non potest ullo modo dubium videri, quin Platonis verba per scribarum socordiam vel etiam praeposteram criticorum sedulitatem aliquid labis susceperint. Nam ubi omnia diligenter perpenderis et examinaveris, in vulgata qui-

dem scriptura p. 35. A. et molestum accidet istud *πέρι* post *τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ* inculcatum, et vehementer displicebit ratio constructionis, siquidem unde suspensi sint genitivi, *τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γιγνομένης μεριστῆς*, nullo modo intelligitur. Cui malo ut medeamur, primum quidem post *μεριστῆς* tollendam censemus interpunctionem, male servatam illam in recentissimis operum Platonicorum editionibus. Quo facto verborum consecutio emerget haec: *ξυνεκεράσατο εἶδος τῆς ἀμερίστου καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἐχούσης οὐσίας καὶ τῆς αὖ περὶ τὰ σώματα γενομένης μεριστῆς τρίτον (εἶδος) οὐσίας*, quod concise dictum pro his: *conflavit individuam ac dividuam naturam, ita ut inde exsisteret tertia naturae species in medio utriusque illius collocata;* in quo certe nihil est quod ullam habeat offensionem. Neque enim illud quemquam morabitur, quod *ἐξ ἀμφοῖν* per redundantiam quandam aut, si mavis, perspicuitatis adiuvandae gratia interiectum est. Sed nova difficultas obiicitur in iis, quae proxime sequuntur: *τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως αὖ πέρι καὶ τῆς θατέρου.* Neque enim *αὖ* istud idoneam habet explicationem, neque *πέρι* quo sensu dictum sit, quisquam indicare quaerenti poterit. Nisi forte existimaveris verum pervidisse Lindavium, qui haec ita reddenda putaverit: *tertiam ex utraque illa mediam commiscuit essentiae speciem, e natura dico eius, quod semper est* etc. At enimvero hoc certe non est interpretari verba scriptoris, sed propriae opinionis commenta eidem inconsiderate obtrudere. Videamus igitur, quid rei sit. Et codices quidem omnes admirabili quadam consensione veterem scripturam tuentur unice. Verumtamen singulari fortuna accidit, ut Sextus Empiricus quid vitii hic insederit, non obscure prodiderit. Is enim bis hunc locum ad rem suam adhibens, Pyrrhon. *Hypotyp.* III. 24. et *Adversus Mathem.* I. 13, 302. *πέρι* bis omisit. Quod temere ita ab eo factum esse, ecquis sibi persuadebit, quum et ipse vir sibi constiterit religiosissime et universi loci rationes eam omissionem rectam iustamque esse liquido contestentur? Itaque nos quidem facile credimus istud *πέρι* errori alicui criticorum acceptum referri: qui unde originem duxerit, paullo post

videbimus, ubi exposuerimus de ceteris loci difficultatibus. Etenim praeter importunam hanc praepositionis interpositionem etiam *αὖ*, quod eam proxime antecedit, plurimum facessit negotii, utpote sensu cassum vel potius universi loci sententiae minime consentaneum. Quocirca iam Davisius ad Ciceron. De Nat. Deor. I. 8. illud eliminandum esse censuit, recte sentiens ille, quod nemo tunc quidem senserat, parum hanc vocem congruere cum mente et sententia scriptoris. Neque tamen nos eo adducimur, ut illam protenus eiiciendam statuamus, quippe non solum omnium codicum Platonis testimonio firmatam, sed etiam veri vestigia monstrantem. Quocirca eam ita servandam arbitramur, ut a vitii labe, quam et ipsa suscepit, leniter repurgetur. Revocandam enim putamus genuinam et haud dubie ab ipso Platone profectam scripturam hanc: *τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως ὂν καὶ τῆς θατέρου*, h. e. *quod particeps esset pariter naturae τοῦ ταὐτοῦ atque τοῦ θατέρου.* Ita certe locum videtur legisse Cicero, cuius haec sunt verba: *tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset eiusdem naturae et alterius.* Iam vero his ita fixis atque stabilitis etiam suspicari licebit, unde illud *πέρι* ortum sit, quod antea fortasse visi sumus nimis audacter eliminandum statuisse. Enimvero *ὂν* si iam antiquitus in *αὖ* fuit depravatum, facillime profecto potuit accidere, ut qui genitivorum rationem, depravatione ista prorsus obscuratam, aliquo modo illustrare vellent, temere *πέρι* istud suum appingerent, quo deinde ab aliis ditata scilicet ipsius Platonis oratio est. Atque haec quidem de verborum integritate. Nam quod fuerunt qui pro *καὶ κατὰ ταῦτα, ac proinde*, nuper reiectum istud *καὶ κατὰ ταὐτά* postliminio restituendum putarent, id vix mentione dignum videtur, siquidem ea lectio alteri longissime postponenda est.

Sequitur nunc, ut de philosophi sententia explicandum sit, quae in his verbis inesse putari debet. In quo negotio versabimur sic, ut missa variarum de ea re sententiarum enarratione, quae certe parum utilitatis, aliquantum invidiae, habitura esset, ipsum Platonem audiamus et quamnam rationem ille in his sequutus sit, quum ex

ipsius scriptis tum e superiorum philosophorum doctrina eruere studeamus.

Considerantibus igitur nobis totum hunc Timaei locum et singula philosophi verba diligenter perpendentibus nunquam visum est obscurum, duo discerni primaria animae mundanae elementa, *τὴν ἀμέριστον καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχουσαν οὐσίαν* et *τὴν περὶ τὰ σώματα γιγνομένην οὐσίαν*: quibus consociatis deus dicitur tertium conflavisse *οὐσίας* genus *τῆς τε ταὐτοῦ φύσεως ὂν καὶ τῆς θατέρου*, hoc est, quod pariter ad *ταὐτόν* et ad *θάτερον* pertineret. Quae si quis recte atque ordine dilucidare voluerit, is necesse est ante omnia exploratum habeat illud, quid Platoni sit *ἡ ἀμέριστος καὶ ἀεὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχουσα οὐσία*, quae etiam *ταὐτόν* appellatur, et *ἡ περὶ τὰ σώματα γιγνομένη οὐσία*, ad quam deinde *τοῦ θατέρου* nomen refertur. Neminem vero poterit, opinor, re accuratius pensitata latere, altero illo significari vim et naturam mundi intelligibilis sive idearum, quae quoniam vi sua ac per se seorsum constat nec ullam naturae suae subit mutationem, recte vocatur individua atque sempiterna itemque *ταὐτόν*: hoc autem designari materiam corporum, quae quia perpetuo mutatur nec ullam habet naturae suae constantiam, fieri potius quam esse dicitur atque etiam vocatur *θάτερον*, sicuti quum in Parmenide saepissime tum in Phaedon. p. 102. A. et Sympos. p. 211. B. fieri meminimus. Haec enim genera rerum philosophus etiam in superioribus distinxerat atque suis quibusdam notis insigniverat: haec eadem etiam ob oculos habet, ubi animae partem mortalem ab immortali secernit. Itaque illud quidem pro certo et explorato ponimus, animae mundanae vim conflatam iudicari ex natura, qualis in ideas convenit, et ex materia corporum. Quod quidem decretum egregie concordat cum nobilissima illa Platonis sententia, qua similia statuebat posse similibus tantummodo cognosci et intelligi. Etenim anima quoniam rerum a sensibus abductarum habet cognitionem, naturam ideis consimilem habeat necesse est. Eadem vero etiam res sub sensus subiectas percipit, unde haurit opiniones, quas *δόξας* appellavit philosophus; itaque fieri non potest, quin etiam cognatione

quadam cum natura corporum ac rerum adspectabilium contineatur. Rem significavit iam Aristoteles De Anima I. 2, 7. qui, *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον*, inquit, *καὶ Πλάτων ἐν Τιμαίῳ τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων ποιεῖ· γιγνώσκεσθαι γὰρ τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον, τὰ δὲ πράγματα ἐκ τῶν ἀρχῶν εἶναι.* ubi quae vocantur *στοιχεῖα*, ea non sunt quatuor illa elementa ab Empedocle primum distincta, sed intelliguntur ea ipsa, de quibus modo a nobis dictum est.

At enim vero hic nascitur quaestio perquam gravis atque difficilis. Quod enim anima ex intelligibili natura composita esse dicitur, id iis videbitur vix defendi aut excusari posse, qui ab idearum natura ex ipsius Platonis sententia omnem materiae concretionem abesse debere sibi persuaserunt. Quid igitur? Putabimusne Platonem revera materiam quandam naturae intelligibilis statuisse, unde animas compositas esse iudicaverit? Dicam equidem, quid mihi de re maxime controversa atque multum disceptata videatur, hac tamen condicione, ut liceat sententiae meae rationes alibi potius quam hoc loco expromere. Est enim res longioris disputationis, qualem non capiunt huius libelli angustiae. Quantum igitur nos quidem potuimus intelligere, lis illa nimium diu agitata, tandem ita componenda erit, ut Platonem statuamus mundum intelligibilem, ut ita dicam, tanquam obiectum extrinsecus atque mentis veluti oculis obversantem considerasse. Quod si ita est, sicuti est, profecto nemini iam poterit mirum accidere, quod philosophus ita est locutus, ac si anima ex natura intelligibili et materia corporum conflata sit et composita. Sed his concessis nova rursus nascitur dubitatio. Quid enim? qualia tandem sunt illa ipsa naturae intelligibilis atque corporeae elementa? Enimvero utrumque, nisi fallimur, informandum est ut infinitum et veluti primarium, quod omni viduatum qualitate factioni subiectum sit, ut adeo proprie *οὐσία* eo sensu, quo apud Platonem de rebus finitis dicitur, in illud non conveniat. Sed non est tamen, cur hac re offendamur, quandoquidem philosophus *εἶναι* et *οὐσία* interdum etiam latiore sensu usurpavit. Quippe in tanta aptorum vocabulorum penuria haec loquendi ambiguitas prorsus evitari haudqua-

quam potuit. Statuisse vero Platonem corporum materiam primitus infinitam, si quis dubitet, eum satis edocebunt quae leguntur in Timaeo p. 48. E sqq. 50. B. D. 51. A. Ac de natura quoque idearum eum idem sensisse, clarum est quum ex Aristotelis testimoniis, tum ex loco Parmenidis p. 137. D. sqq., ad quem suo tempore accuratius commentabimur. Habemus igitur causas et rationes sententiae nostrae satis idoneas.

Iam vero harum *οὐσίας* generum coniunctione deus tertium quoddam genus narratur effecisse, eoque procreato omnia in unam commiscuisse speciem. Quod quorsum pertineat, etsi a viris doctis multum dubitatum est, tamen ex iis, quae similiter in Parmenide disputantur, videmur satis certo colligere posse, quid de tota re iudicari oporteat. Nam infinitis illis naturis quod nunc tertia, quae simpliciter vocatur *οὐσία*, adiungitur, nihil est probabilius, quam fieri hoc propterea, quod infiniti natura ea est, ut etsi capax sit formae, rationis, condicionis, tamen per se ipsa finita existere ideoque vere esse non queat. Itaque aliud quiddam accedat sane necesse est, quod informi quasi materiae afferat definitae rationis atque formae legem et virtutem. Quod ipsum est *οὐσία*. Etenim *εἶναι* sensu angustiore dicitur quidquid infinitate carens certam accepit essentiae formam atque legem, quo sensu frequentatur hoc verbum in Parmenide p. 142. A. sqq. al. Itaque tertium illud genus Plato haud dubie intellexit *οὐσίαν*, quae infinitae idearum pariter atque corporum naturae certam essentiae legem et condicionem impertit ideoque etiam id, quod natura sua inter se pugnat nec in unum convenit, tanquam conciliat et quodam unitatis vinculo coniungit. Ex quo perspicuum erit omnibus, cur illud dicatur *τῆς τε ταυτοῦ φύσεως ὂν καὶ τῆς θατέρου*. Quippe facta utriusque illius naturae consociatione protenus etiam accessit essentia, sine qua illa ne fieri quidem potuisset. Atque hanc ipsam ob causam *οὐσία* etiam pro quodam elementi genere a ceteris seiuncto ponitur. Nam nec materia infinita per se consistere potest, nec vis aliqua potest esse sine materia. Ita igitur satis videmur demonstravisse, quid Platoni de animae mundanae elementis visum sit. Voluit enim eam conflatam esse ex sempiterna et constanti natura, qualis in ideas convenit, et ex terrenae materiae eiusdemque primitivae parte: quae ambo coniunxit inter se *οὐσίας* vinculo.

Sed haec omnia etsi per se clara sunt, tamen pleniorem lucem ita demum accipient, si quamnam rationem philosophus hic sectatus sit, exquisiverimus. Recte vero A. Boeckhius in *Studiis* Daubii et Creuzeri T. III. P. I. p. 35 sq. Pythagoreorum decreta hic sibi deprehendisse visus est. Enimvero omnino philosophus in Parmenide, Philebo, Timaeo ita disputat, ut plurima ad principia Pythagoreorum retulerit. Neque tamen in eo accedimus viri egregii sententiae, quod naturam intelligibilem retulit ad Pythagoreorum unitatem, corporum vero materiam ad indefinitam dyadem, quam iidem statuebant. Nam quum unitas finitum, indefinita autem dyas infinitum significet, fieri non potest, ut priore nomine infinita mundi intelligibilis natura designetur. Sed quid sit, in quo cum illius ratione nobis haudquaquam conveniat, id legentes ipsi, si volupe fuerit, accuratius explorabunt; nunc paucis exposuisse iuvabit, quid nosmet ipsi de tota causa sentiamus. Persuasimus autem nobis penitus, Platonem in his presse secutum esse Philolai de primariis rerum generibus sententiam, de qua postea Boeckhius docte exposuit in Philolao p. 148 sqq. atque nos in Prolegg. ad Philebum p. LVII sqq. explicavimus. Statuit enim Philolaus in tota rerum natura, quaecunque generata essent, originem habuisse e finito, quod item definiendi vi et potestate polleret ideoque simul esset *τὸ πέρας ἔχον*, atque ex infinito sive *τῷ ἀπείρῳ*: quam rationem a Platone quoque esse adoptatam luculenter apparet ex Philebo p. 25 sqq. His duobus autem Philolaus adiunxit tertium genus ex utroque mixtum et conflatum, *τὸ συμμεμιγμένον*, quod complecteretur ea omnia, quae re vera orta essent, sive legem quandam rationemque suscepissent. Denique etiam causae genus posuit esse, *τὸ αἴτιον*, quo infiniti atque finiti consociationem sapienter regi ac temperari voluit. Enimvero omnem utriusque istius naturae coniunctionem censuit fieri oportere sapienti quadam lege, quae sine causae moderamine profecto nulla est. Haec ipsa vero Platoni egregie probata esse, certissime testatur locus Philebi p. 26. et sqq. coll. Aristotel. Meta-

phys. p. 25 sq. ed. Brand. Quid igitur? Haeccine prorsus cum Platonis sententia de animae mundanae elementis convenire existimanda sunt? Mihi quidem res adeo non dubia videtur, ut eam habeam pro satis certa et explorata. Nam quod Philolaus infinitum vocavit atque ab aliis appellatum est infinitae dyadis vocabulo, id ipsum apud Platonem inest in duobus illis animae primariis elementis, quae antea significavimus tanquam infinita informari. Finiens autem elementum, si ita dicere liceat, cernitur in vi essentiae, ut hoc utar vocabulo, quae una cum utriusque illius naturae copulatione emergit. Iam vero nemo erit, quin protenus animadvertat nec deesse apud Platonem quod Philolaus τοῦ συμμεμιγμένου nomine appellavit. Nam est illud haud dubie absoluta animae mundanae natura, quae ex finiti et infiniti copulatione prodiit atque deinde adeo secundum geometricas atque musicas rationes composita esse iudicatur. Denique de τῷ αἰτίῳ si quaeris, est illud haud dubie summi numinis ratio, qua una fit, ut finitum cum infinito sapientissime in unum coniungatur. De quo minime dubitabis inspecto loco Philebi p. 28. C. D. E., ubi prorsus idem argumentum et quidem eodem modo tractatur.

En invenimus tandem loci difficillimi interpretationem eam, quae quoniam et per se disputationis argumento maxime consentanea est, et cum Philolai ratione alibi a Platone probata egregie concordat, certe a verisimilitudine haudquaquam abhorrere iudicanda erit.

Accedimus nunc ad eum locum, qui agit de animae isto modo compositae motu et agitatione, p. 37. A. sqq.; cohaeret enim cum altero illo arctissime, eique plurimum lucis affundit, sicuti ipse illinc lucem accipit suam. Etenim anima mundana posteaquam numeris suis absoluta est ac diffusa per totam rerum universitatem, coepit agere vitam sempiternam atque sapientem, ita quidem, ut ipsa in se moveretur. Quae est haud dubie imago vitae ipsius in se absolutae neque suspensae extrinsecus. Declaratur enim verbis movendi, qualia sunt κινεῖσθαι et κίνησις, στρέφεσθαι, περιφορά, ἀνακυκλοῦσθαι, alia, motus et agitatio animi virium: qui usus loquendi etiam aliis placuit antiquae ae-

tatis philosophis, sicuti docta disputatione nuper ostendit Fr. Creuzerus ad Plotin. T. III. p. 330 sq., ubi exposuit de κινήσεως notione apud philosophos Graecos. Est autem motus animae prorsus consentaneus elementis illis, ex quibus ipsam compositam esse antea vidimus. Quocirca haec nemo penitus intelliget, nisi qui superiora illa accurate tenuerit.

Etenim anima, quoniam ex natura cogitabili et materia corporea partem in se suscepit, propterea etiam τὸ σκεδαστὴν οὐσίαν ἔχον et τὸ ἀμέριστον attingere iudicatur. Quippe τὸ οὐσίαν ἔχον σκεδαστήν sunt haud dubie res sub sensus subiectae, quae dicuntur habere οὐσίαν σκεδαστήν, propterea quod multae sunt atque variae et mutabiles, ita ut tantummodo in quandam perveniant οὐσίας communionem; τὸ ἀμέριστον autem sunt ideae, utpote per se constantes, omnis expertes vicissitudinis, neque partium multitudine variatae. Quae adeo certa sunt et explorata, nulla ut locum habere possit controversia. Sed difficiliora sunt intellectu quae proxime deinceps adiiciuntur: λέγει κινουμένη διὰ πάσης ἑαυτῆς, ὅτῳ τ' ἄν τι ταὐτὸν ᾖ κ. τ. λ. Quae quam varia experta sint interpretum iudicia, ideo nolumus narrare, quia errores paene pueriles notandi forent. Sed discant omnes ex eiusmodi locis, quam necessarium sit vel ad minutissimam animum attendere voculam, nisi in graviores errores, quam qui doctis viris condonandi sint, incurrere volueris. Etenim omnium errorum fons haud dubie fuit hic, quod non diligenter animadversum est, quem usum habeat relativum pronomen adiuncta ἄν particula. Quo recte observato nemo paullo prudentior dubitabit, quin iunctura verborum facienda sit hunc in modum, κινουμένη διὰ πάσης ἑαυτῆς λέγει, πρὸς ὅ τι μάλιστα καὶ ὅπῃ καὶ ὅπως καὶ ὁπότε τοῦτο, ὅτῳ ἄν τι ταὐτὸν ᾖ καὶ ὅτου ἂν ἕτερον, ξυμβαίνει ἕκαστα εἶναι καὶ πάσχειν πρὸς ἕκαστον κατὰ τὰ γιγνόμενά τε καὶ πρὸς τὰ κατὰ ταὐτὰ ἔχοντα ἀεί. Quocirca sententia verborum huc fere redit: *Anima dum isto modo vires exercens suas vel res concretas animadvertit vel res cogitabiles attingit, omni virium contentione diiudicat, si cui est idem vel etiam diversum quiddam, illud ad quidnam maxime et quomodo quove tempore ad unumquodque se omnibus modis habeat omnibusque modis afficiatur, et in iis quae fiunt*, hoc est,

in rebus corporeis et individuis, *et in illis, quae sibi semper constant.* Quae etsi primo adspectu perquam obscure dicta videantur, tamen re diligenter explorata nihil aliud significare concedendum erit, nisi hoc, animam rerum omnium quum adspectabilium tum intelligibilium differentiam pariter atque congruentiam, quam hodie vocant identitatem, atque varias rationes inter ea intercedentes observare accurate atque diiudicare. Quod quomodo intelligendum sit, rursus clarum fiet iis, qui meminerint quae per totum fere Parmenidem de rationibus rerum atque idearum deque multiplici earum necessitudine exposita leguntur. Itaque magnopere in hoc loco cavendum est, ne *ταὐτόν τι* et *ἕτερόν τι* eo sensu dictum existimemus, quo antea legebatur *τὸ θάτερον* et *τὸ ταὐτόν*. Agitur enim nunc non de primaria rerum generatarum vi et natura, sed de variis earum inter ipsas rationibus, quorsum pertinet utique differentia atque convenientia. Praeterea quod anima dicitur *κινουμένη διὰ πάσης ἑαυτῆς λέγειν* quaenam sint rerum rationes, id prorsus convenit cum illis in Sophista p. 263. E., ubi mentis cogitatio vocatur *ὁ ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς ἑαυτὴν διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος*. Movetur autem ea *διὰ πάσης ἑαυτῆς*, quum omni virium suarum contentione id agit, ut varias idearum atque rerum rationes discernat atque intelligat: de quo loquendi genere Platoni familiari iam antea monuimus. Ipsae illae rationes vero significantur formula: *ἕκαστα εἶναι καὶ πάσχειν πρὸς ἕκαστον*, in quibus cavendum, ne pro *εἶναι* cum nonnullis *ποιεῖν* requiras, videlicet propter verbi *πάσχειν* oppositionem. Nam *εἶναί τι πρός τι* nunc rectissime ponitur de eo, quod vi ac natura sua hoc vel illo modo ad aliquid comparatum est; *πάσχειν* autem dicitur id, quod extrinsecus ab alio quopiam ita afficitur, ut cum eo quandam suscipiat necessitudinem. Videmus igitur omnia sincera esse et incorrupta. Nec vero argutandum est in verbis *ὅπῃ καὶ ὅπως*, quae interpres recentissimus parum intellexit, quamquam is sibi visus est hic Aristotelicas categorias cunctas deprehendisse. Enimvero *ὅπῃ καὶ ὅπως* prorsus dicitur ut nostrum, *auf welche Art und Weise*, sicuti nuper in altera editione Phaedonis ad p. 78. D. et 100. D. demonstravimus, ut profecto non sit, cur de utrius-

que vocabuli discriminatione multum laboremus. Superest iam, ut paucis videamus etiam de verbis proximis: *κατὰ τὰ γιγνόμενά τε κ. τ. λ.* Est enim totus hic locus ita comparatus, ut paene singula verba singulas obiiciant difficultates. Observandum igitur est hisce, *κατὰ τὰ γιγνόμενα* respondere illa, *πρὸς τὰ κατὰ ταῦτα ἔχοντα ἀεί*. In quibus aliquis fortasse mirabitur quod post *κατά* in re prorsus eadem deinceps infertur *πρός*. At enim vero non obscura certe latet huius rei ratio. Quis enim ferat hoc modo loquentem: *κατὰ τὰ κατὰ ταὐτὰ ἔχοντα?* Haec igitur orationis scabrities ut evitaretur, prudenter philosophus in altero membro *κατά* non iteravit, sed posuit *πρός*, quod et ipsum nullo sententiae detrimento ad rem praesentem commode adhiberi potuit.

Et hactenus quidem contigit nobis, ut et grammaticas difficultates superaremus fortasse non infeliciter, et quae esset Platonis mens atque sententia, nescio quomodo perspectum habere videremur. Intelleximus enim universae disputationis summam huc fere redire: „Anima mundana a summo deo ex elemento sensili et intelligibili accedente essentia composita est. Quocirca ei etiam rerum corporearum et idearum perceptio atque cognitio convenit. Neque vero ea materiam tantum, ut ita dicam, mundi intelligibilis et corporati percipit, sed etiam omni virium contentione id agit, ut varias rerum rationes et coniunctiones sedulo discernat et intelligat.“ Hoc igitur totius loci est argumentum. Restat nunc is locus, quo origo atque discrimen opinionis et scientiae declaratur; qui quoniam et ipse magnis tenebris obvolutus iacet, interpretationis ope vel maxime indigere videtur. Itaque experiamur, an huic quoque lucem aliquam affundere possimus.

Dici vero non potest, quantopere etiam haec discruciaverint hominum doctorum ingenia: qui cum neque verba satis accurate interpretati essent, et doctrinae Platonis ipsius immemores posteriorum temporum somniis, ut fit, inconsiderate indulsissent, huius temeritatis suae poenas sane dederunt longe gravissimas. Sic Marsilius Ficinus prima verba, *λόγος ὁ κατὰ ταὐτὸν ἀληθὴς γιγνόμενος*, perquam absurde reddidit: „*Ratio ad ipsum, quod idem, vergens atque veridica;* neque felicius alii reddiderunt. Sententia universi loci autem quaenam esset, quantum nos qui-

dem sciamus, usque ad hunc diem, ne dicam, nemo perspexit, certe nemo perspicue explicavit. Quo magis id dandum operae est, ut tenebrae istae tandem aliquando discutiantur.

Itaque illud quidem apertum est, philosophum hic id agere, ut declaretur verae opinionis atque scientiae origo. Satis autem aliunde constat, Platonem inter utramque hoc discriminis intercedere voluisse, ut scientiam sive *ἐπιστήμην* ad unas ideas retulerit, opinionem vero ex rerum sub sensus subiectarum perceptione iudicaverit oriri. Iam vero consideres mihi haec: *ὁ λόγος ἐν τῷ κινουμένῳ ὑφ' αὑτοῦ φερόμενος ἄνευ φθόγγου καὶ ἠχῆς, ὅταν περὶ τὸ αἰσθητὸν γίγνηται καὶ ὁ τοῦ θατέρου κύκλος ὀρθὸς ἰὼν εἰς πᾶσαν αὐτοῦ τὴν ψυχὴν διαγγείλῃ, δόξαι καὶ πίστεις γίγνονται βέβαιοι καὶ ἀληθεῖς*, et certe protenus largieris, sermonem esse de rectae opinionis origine. Itaque primum dispiciendum erit, quinam intelligatur *λόγος ἐν τῷ κινουμένῳ ὑφ' αὑτοῦ φερόμενος ἄνευ φθόγγου καὶ ἠχῆς*. Et nos quidem in ea sumus sententia, ut nihil aliud significari existimemus, quam tacitam mentis vires suas exercentis cogitationem: quae eleganter appellatur oratio sine sono ac voce, prorsus ut Sophist. p. 263. E. et Phileb. p. 38. D. et 39. A. sqq., ubi item origo *τῆς δόξης καὶ διανοίας* describitur. Haec igitur tacita mentis cogitatio quando versatur in contemplandis rebus, quae sensibus percipiuntur, *περὶ τὸ αἰσθητόν*, nasci iudicantur opiniones et assensiones firmae atque verae, siquidem *ὁ τοῦ θατέρου κύκλος ὀρθὸς εἶσι*. Sed quis tandem est iste *θατέρου κύκλος*? Enimvero animam meminimus antea ex *ταὐτῷ* et *θατέρῳ*, hoc est, ex infinita natura mundi intelligibilis atque materia corporum esse compositam, vimque eius et agitationem declaratam orbicularis motus imagine. Itaque *ὁ τοῦ θατέρου κύκλος* necesse est sensilis animae partis agitatio sive motus intelligatur. Ex quo apparet clarissime, quid Timaeus his verbis sibi velit. Etenim *δόξαι καὶ πίστεις* quum secundum Platonem ex rebus sub sensuum perceptionem subiectis oriantur, tum ita demum certae atque verae existunt, si facultas sentiendi atque percipiendi, id est enim *ὁ τοῦ θατέρου κύκλος*, libere recteque viribus suis utitur neque in eo negotio impeditur: id quod significatur

verbis *ὀρθὸς ἰών*. Quae quidem verborum interpretatio si quaeris, an eum Platonis de hac re sententia conveniat, praeclare sane cum illa concordant quae de hoc argumento disseruntur in Philebo p. 38. D. sqq. Menon. p. 97. A. B. Sympos. p. 200. A. De Republ. VI. p. 506. C. D. E. al. concordant item, quae in ipso Timaeo p. 87. de falsae opinionis origine explicantur. Nihil igitur iam relictum videmus dubitationis. Abstergenda tamen hic quoque pusilla macula est, qua Platonis orationem contaminavit librariorum socordia. Scribendum enim sine dubio *εἰς πᾶσαν αὐτὸ (τὸ αἰσθητόν) τὴν ψυχήν*, quum *αὐτοῦ* non habeat, quorsum commode referatur. Quam emendationem, etiam ab Astio propositam, certam veramque esse prorsus evincunt quae deinde sequuntur: *καὶ ὁ ταὐτοῦ κύκλος εὔτροχος ὢν αὐτὰ μηνύσῃ*, ubi *αὐτά* item spectat ad praegressum *τὸ λογιστικόν*: neque enim hic *αὐτό* corrigendum esse abunde docebunt, quae de hoc usu numeri pluralis ad Gorg. p. 447. A. Rempubl. VI. p. 504. D. Apolog. Socrat. p. 19. D. exposuimus. Ita igitur haec quoque in aprico esse putamus, pergimusque sine ulla mora ad proxima, quibus explicatur de scientiae originibus.

Sunt autem verba Platonis haec: *ὅταν δὲ αὖ περὶ τὸ λογιστικὸν ᾖ (ὁ λόγος) καὶ ὁ ταὐτοῦ κύκλος εὔτροχος ὢν αὐτὰ μηνύσῃ, νοῦς ἐπιστήμη τε ἐξ ἀνάγκης ἀποτελεῖται.* Quid hic significet *τὸ λογιστικόν*, ex oppositione *τοῦ αἰσθητοῦ* erit perspicuum. Dubitavit tamen Henricus Stephanus, an potius *λογιστόν* scribi oporteret. Qua mutatione mea sententia haudquaquam opus est. Nam *τὸ λογιστικόν* non modo est cogitabile, sed ipsum quoque mentis et rationis particeps. Qua in re Plato prope accessit ad Parmenidis rationem, quem esse et cogitare constat idem iudicasse, ita ut alterum ab altero non pateretur divelli aut penitus segregari. Quando igitur tacita mentis oratio, hoc est, cogitatio, circa *τὸ λογιστικόν* versatur atque contemplatur id, quod mentis et rationis est particeps, tum vero *νοῦς τε καὶ ἐπιστήμη* absolvitur, ita tamen, ut *ὁ ταὐτοῦ κύκλος εὔτροχος ὢν αὐτὰ μηνύσῃ*, h. e., ut idearum cognoscendarum facultas, animae ideo ingenerata, quia ipsa quoque ex *ταὐτῷ* prognata est, nullo impedimento turbetur, sed libere vires suas exerceat, ideoque intelligibilia (*αὐτά*) animae recte ac perspicue denuntiet. Quae omnia nihil quidquam

habent, quod obscuritate aliqua premi iudicari liceat. Nam recte sane *νοῦς* et *ἐπιστήμη* coniunguntur, quoniam *νοῦς* semper apud Platonem refertur ad cognitionem idearum, unde oritur demum scientia nomine suo digna. Neque desunt alia huius copulationis exempla, quae tamen in re per se tam manifesta enumerare velle importunum esset.

Reliquum est igitur, ut tandem revertamur ad superiora illa, quae antea dicebamus a Ficino aliisque interpretibus perperam explicata esse. Dubium enim etiamnunc est, quomodo intelligenda sint illa: *ὁ κατὰ ταὐτὸν ἀληθὴς γιγνόμενος, περί τε θάτερον ὢν καὶ περὶ τὸ ταὐτόν.* Et illud quidem apertum putamus, cardinem rei verti in eo, ut istud *κατὰ ταὐτόν* recte accipiatur. Suppetit vero duplex eius explicatio. Potest enim intelligi oratio, quae secundum *ταὐτόν* vel pro *τοῦ ταὐτοῦ* ratione vera existit. Fateor tamen hanc rationem mihi non omnino placere, quum alias ob causas, tum maxime propterea, quod in praecedenti disputatione nihil de eo expositum est, quod ita profecto sumere cogimur, omnem scientiam et opinionem pro *τοῦ ταὐτοῦ* modulo, quem ipsa habeat, veram existere. Itaque hanc interpretationem in medio relinquimus. Magis enim inclinat animus eo, ut *κατὰ ταὐτό pariter*, *pari ratione*, significare statuamus. Quo facto sententia verborum existit haec: *oratio autem* (h. e. tacita illa mentis cogitatio), *quae quidem pariter vera evadit*, *sive versatur circa diversum sive ad ταὐτόν refertur*, *quando versatur in contemplandis rebus sensilibus*, *facultate percipiendi non fatiscente*, *rectae opiniones oriuntur; quando autem occupata est in rebus cogitabilibus*, *facultate cognoscendi integra atque libera*, *gignitur necessario intelligentia et scientia veri.* Atque id profecto totius loci rationibus egregie convenit, siquidem ita statim ab initio significatur, verae opinionis pariter atque scientiae causam et originem declaratum iri. Neque etiam illud iniicit scrupulum, quod alibi fere *κατὰ ταὐτά*, numero plurali, eo sensu usurpatur, veluti Tim. p. 34. C. Reip. X. p. 615. C. Sympos. p. 221. D. Sophist. p. 253. B. Phaedon. p. 95. B. al. Nam nec singularem numerum ab usu loquendi abhorrere, vel illud arguit, quod etiam *ταὐτόν*, *pariter*, sine *κατά* ita frequentatum est, sicuti exempla rei ad Reipubl. libr. X. p. 605. B. a nobis consignata unumquemque edocere poterunt.

Absolvimus tandem scholam nostram de loco Timaei difficillimo atque gravissimo: quae si forte paullo copiosior et prolixior evaserit, condonandum id erit scholae magistro, qui etiam leviora saepe cum pulvisculo excutere consueverit.

Schulnachrichten.

Das verflossene Schuljahr wird in den Annalen der Thomasschule stets mit vollem Recht als ein höchst denkwürdiges bezeichnet werden können, vorzüglich deshalb, weil es für die Anstalt, und insbesondere für das Alumneum eine Veränderung zeither bestanden habender Einrichtungen und Gebräuche herbeigeführt hat, welche für die gewissere Erreichung unserer wissenschaftlichen und pädagogischen Zwecke unzweifelhaft von den segensreichsten Folgen begleitet sein wird.

Es war eine alte ehrwürdige Sitte, in dem ursprünglichen Zusammenhange der Schule mit der Kirche begründet, nach welcher namentlich mit den aus Klosterschulen hervorgegangenen Gymnasien Singechöre in Verbindung standen, die nicht nur den öffentlichen Gottesdienst durch ihren Gesang zu unterstützen, sondern auch durch öffentliche Singumgänge die häusliche Andacht zu wecken und zu befördern hatten. Lange Zeit hatte sich diese alterthümliche Einrichtung eines ununterbrochen beifälligen Fortbestehens zu erfreuen, ohne daß man irgend etwas Anstößiges oder Tadelnswerthes darin gefunden hätte. Der fromme kirchliche Sinn unserer Vorfahren hielt auch die Gesangübungen und öffentlichen Singumgänge von Jünglingen, welche einst Diener der Kirche oder Pfleger und Beschützer der Wissenschaft sein sollten, für etwas Ehrenwerthes und Heiliges, und gern reichte man dem dürftigen Jünglinge dafür eine Gabe der Wohlthat, ohne in dem Colligiren derselben durch den Percipienten selbst etwas Anstößiges oder Gefährliches zu erblicken. Hatten doch die Gesänge der Andacht für jedes fromme Gemüth so viel Ansprechendes und das Bewustfein solcher

Wohlthätigkeit so viel Erhebendes, daß man an eine ängstliche Bemessung des Gebrauches nach den Zwecken der Schule oder nach sonstigen äußern Lebensverhältnissen nicht dachte und wohl auch nicht denken mochte. Erst als im vorigen Jahrhundert der höhere wissenschaftliche Zweck der Gelehrtenschulen klarer erkannt und durch alle Stände eine feinere Sitte des Lebens herrschend geworden war, da erhoben sich gegen das Bestehen der Singechöre und der gebräuchlichen Gesangumgänge von vielen Seiten her laute Stimmen, und nachdrücklich versuchte man darzuthun, wie durch dergleichen eines Theils der wissenschaftliche Zweck der Gelehrtenschulen beeinträchtiget, andern Theils der sittliche Sinn der jungen Leute verletzt und gefährdet, ja wohl auch ihr physisches Wohlsein aufs Spiel gesetzt werde. Es konnte nicht fehlen, daß diese Stimmen bald Gehör fanden, da sie allerdings nicht nur vieles Wahre bemerklich machten, sondern auch dem veränderten Zeitgeiste völlig entsprechend waren. Daher wurde denn auch bald an sehr vielen Orten rasch zur Entfernung der Singechöre von den Schulen geschritten, um so der neuern Wissenschaftlichkeit und feinern Gesittigung in ihnen mehr Raum zu verschaffen. Und ohne Zweifel trug diese Reform wesentlich mit dazu bei, daß das deutsche Gymnasialwesen bald einen größern Aufschwung erhielt, als dieß jemals zuvor der Fall gewesen war. Aber verkennen läßt sich auch nicht, daß man auf der andern Seite das Gute mit dem Schlechten vernichtete, und in den Gymnasien selbst durch gänzliche Aufhebung der Chöre ein für den Gelehrten überhaupt und für den künftigen Theologen insbesondere sehr wichtiges Bildungsmittel untergehen ließ, dessen Verlust man schwerlich durch etwas Anderes ersetzen konnte und auch in der That schon nach einigen Decennien zu beklagen Ursache finden sollte. — Nicht so geschahe mit der Thomasschule. Sie war eine der wenigen Anstalten des deutschen Vaterlandes, welche das mit ihr verbundene Gesanginstitut beibehielt, und ohngeachtet des Fortbestehens desselben mit andern Gelehrtenschulen auch in wissenschaftlicher Beziehung zu wetteifern versuchte. Und allerdings konnte die Anstalt auch bei solchen Verhältnissen mit andern gar wohl in die Schranken treten, da sie sich bei der ununterbrochenen großen Fürsorge ihres Hochweisen Patrones des ausgezeichneten Glückes zu erfreuen hatte, ihre Leitung und den Unterricht ihrer Jugend

in die Hände von Männern gelegt zu sehen, welche, selbst Gebieter im Reiche der Wissenschaft, auch die ihnen anvertrauten Jünglinge zu regen wissenschaftlichen Studien zu entflammen wußten, und eben dadurch mehr bewirkten, als sich durch alle Kunstgriffe formell geübter Didaktik jemals erreichen läßt. Denn man sage, was man wolle, das erste Erforderniß eines guten Lehrers ist und bleibt, daß er selbst die zu behandelnden Gegenstände völlig beherrsche und für die Wissenschaft, in der er lehrt, mit Enthusiasmus erfüllt sei. So ist es denn in der That höchst interessant, aus der Schulmatrikel zu ersehen, wie grade aus dem Alumneum der Thomasschule seit Johann Matthias Geßners und Johann August Ernestis Rectorate eine große Zahl von Männern hervorgegangen ist, welche sich um Kirche und Staat, um Wissenschaft und Leben, unvergängliche Verdienste erworben haben, und deren Namen selbst ein künftiger Geschichtschreiber der Schule nicht wird mit Stillschweigen übergehen dürfen. Daraus wird nun aber auch begreiflich, wie man bei dem allgemein überhand genommen habenden Eifer, die Gesanginstitute zu verdrängen oder doch möglichst zu beschränken, grade bei der Thomasschule weniger Ursache fand, eine Aenderung der Art vorzunehmen. Hierzu kam aber auch noch der Umstand, daß gleichzeitig das Sängerchor der Thomana im In- und Auslande einen nicht geringen Ruf behauptete, und als eine Zierde des öffentlichen Gottesdienstes betrachtet wurde, welche man selbst auch in einem Zeitalter, das den äußern Beförderungsmitteln der Erbauung und Andacht nicht eben großen Werth beilegte, hochhalten und ehren zu müssen glaubte. Kein Wunder also, daß das Alumneum der Anstalt, oder das mit dem Gymnasium verbundene Gesanginstitut — denn beides ist eins und dasselbe, indem von den sechzig Alumnen nur zwei vom Chordienste befreit sind — daß dieses Institut bis auf die neueste Zeit herab im Wesentlichen in seiner frühern Gestaltung fortbestanden hat. Indessen ließ sich doch auch keinesweges verkennen, daß, während man anderwärts das Gute mit dem Schlechten weggeworfen hatte, hier umgekehrt mit Beibehaltung des Guten auch Manches fort und fort erhalten worden war, dessen Entfernung bei der jetzigen Sinnesweise und Bildung und bei den gesteigerten Ansprüchen an die Gymnasien immer dringender scheinen mußte. Die öffentlichen

